INSIDIÆ
HUJATIUM SICARIORUM HECTICÆ ET TABIS,

EX

SPECIALIORUM CAUSARUM INDAGATIONE,

DISSERTATIONE INAUGURALI MEDICA

HYGIOLOGICO - PATHOLOGICA

DETECTÆ,

QUAM

AD MAJOREM DEI GLORIAM,

PROXIMIQUE SALUTEM

IN ANTIQUISSIMA ELECTORALI UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

PRÆSIDE

Prænobili, Excellentissimo, ac Experientissimo Domino

D. JOAN. LUDOV. CHRISTOPHORO BERINGER,

Phil. & Medic. Doctore, ejusdémque Professore Publico & Ordinario, h. t. Facultatis Medicæ Decano,

DOMINO MANUDUCTORE, PROMOTORE, AC PATRONO SUO MAXIMO ÆTERNUM VENERANDO,

PRO LICENTIA

SUPREMAM DOCTORATUS MEDICI LAUREAM, Annexáque Privilegia ritè consequendi

Publico ac solenni Eruditorum Examini submittet

ERHARDUS BENEDICTUS WEGELE,

Velburgensis Palatinus, Medicinæ Candidatus.

IN AULA ACADEMICA WILHELMIANI

SERENISSIMO, POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO CAROLO PHILIPPO

COMITI PALATINO RHENI,

SACRI ROMANI IMPERII

ELECTORI,

ET

ARCHI-THESAURARIO,

BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIUM DUCI, PRINCIPI MOERSIÆ, COMITI VELDENTIÆ, SPONHEMII, MARCHIÆ, RAVENSPURGI, DYNASTÆ RAVENSTEINII &c. &c.

Domino Domino ſuo Clementiſſimo.

NEC

NEC NON

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO PHILIPPO THEODORO

COMITI PALATINO RHENI,

BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIUM DUCI, MARCHIONI BERGÆ AD ZONAM, COMITI VELDENTIÆ, SPONHEMII, MARCHIÆ, ET RAVENSPURGI, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c. &c.

Domino Domino ſuo Clementiſſimo.

Diſſertationem hanc Inauguralem humillimè dedicat, conſecrat

Devotiſſimus, ſubjectiſſimus, ac ſervorum Infimus

ERHARDUS BENEDICTUS WEGELE, Velburgenſis Palatinus.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA HYGIOLOGICO - PATHOLOGICA DE INSIDIIS HUJATIUM SICARIORUM HECTICÆ ET TABIS.

CAPUT I.

Thema & Divisionem Dissertationis, nec non rationem scribendi breviter exponit.



PAroemia est malevolorum fortè in Medicinam, atque Medicos odio in vulgus passim decantata, nempe; *ægri curantur in libris, & moriuntur in lectis*: atque ideò vitio haud vertas, B. L., nos in seligenda Dissertationis Inauguralis materia ab usitata hactenus methodo recedere, neque pro Themate Disputationis morbum quemdam theore-

ticè, practicéque explicandum suscepisse; operæ namque pretium haud duximus, in simili argumento ex nonaginta novem vel Practicorum scriptis, vel editis jamjam alibi Dissertationibus centesimum opusculum consarcinare, vel antiquam in nova olla cramben recoquere, vel denique, nescio quas, novas observationes, malè tamen non rarò observatas, aut saltem non ritè applicatas erudito orbi ùt peculiaria inventa obtrudere.

Potius itaque talem materiam seligendam esse existimavimus, quæ saluti publicæ fortè consulere posset. Proinde Hecticam & Tabem in scenam producimus, non quidem, ut affectus hos morbosos juxta consuetam hactenus methodum scholasticam discursu Pathologico-Therapevtico explanemus, sed ut hos ipsos ceu Patrios hujatium præcipuè incolarum Sicarios contemplemur, eorúmque insidias, quas conjurati hi hostes in Sanitatis Palatinæ perniciem clandestinè struunt, nos palam detegamus. *Sicarios* itaque Hecticam & Tabem vocamus, partim quia Sicariorum more non aperto marte, sed clandestino quasi stratagemate charissimos Patriæ nostræ, hujatis potissimùm urbis, incolas, quorum nobis cura salúsque cordi esse debet, invadunt: partim, quia sub suavibus, quas sensibus offerunt, blandimentis lethale venenum corpori sensim sine sensu communicant, donec incautos mortales lentâ quidem, interim tamen vix non semper inevitabili morte perimant, ùt infrà capite altero clariùs demonstrare nobiscum constituimus.

Hujates verò Sicarios prædictos affectus morbosos hac potissimùm de causa dicimus, eò quòd Hecticam & Tabem præ cætera morborum caterva hujatibus præcipuè incolis fatalem esse deprehendamus, ita quidem, ut inter plures, qui diem supremum obeunt, non paucos,

cos, si non planè potiores, Hecticâ aut Tabe laborâsse, vel saltem alios præcedentes morbos in Hecticam & Tabem degenerâsse, aut iisdem hectici quid supervenisse, imò ab ipso hoc malo tenerioris etiam ætatis infantes & juvenes utriusque sexûs minimè exclusos esse testis sit quotidiana vix non experientia, & attentior observatio clinica.

Quemadmodùm igitur observatio hæc, nempe hujates incolas præ cæteris populis ac morbis hecticæ potissimùm, ac tabidæ consumptioni obnoxios esse, satis in se certa est, ita eandem specialissimis omninò causis adscribi debere, inficias ibit nemo, nisi qui leviore animo anguem sub herba latentem in sinu porrò fovere mentis est. Hujus itaque rei speciaIiores causas capite sequente fusiùs sumus explanaturi, ut capite ultimo, quomodo saluti publicæ consulere, & Sicariorum nostrorum technas, insidias, ac machinas tantò feliciùs, aut prophilactica præservatione, aut, si malum necdum radicatum sit, therapevtica etiam curatione eludere possimus, succinctè edoceamus.

CAPUT II.

Sicariorum Hujatium indolem, & insidias per specialium causarum indagationem exhibet.

ANtequam ad ipsam causarum Sicariis hisce nostris arma suppeditantium seriem devolvamur, ad meliùs eruendam harum notitiam, affectuum hectico-tabidorum hìc loci frequentiùs grassantium indolem præviè

 brevi-

térque ob oculos ſiſtimus; de qua ſequentes attentior obſervatio & experientia clinica nobis hactenùs detexit circumſtantias: *1mò* affectus ejusmodi hectico-tabidos ſine ullo diſcrimine ſexûs viros æquè ac fœminas invadere, quo ad ætatem verò *2dò* pariter juvenibus utriusque ſexûs æquè, ac intra conſiſtentiæ terminos conſtitutis, nec non ſenibus vetulísque, quin ipſis etiam infantibus ac pueris communes eſſe, quamvis *3tiò* tenerioris ætatis hominibus periculoſiores, hinc & certiùs citiúsque lethiferi ſint. His accedit *4tò*, tabidæ aut hecticæ ejusmodi conſumptioni, qualis in hujatibus incolis crebrior occurrit, in aliquibus quidem veram phthyſin, aut alterius cujusdam viſceris labem, in aliis verò nullam ſenſibilem nobiliorum viſcerum corruptionem ſcirrhoſam aut apoſtemmatodem complicatam eſſe: ex quibus ultra ſpontè fluit *5tò*, eandem non æquè ſemper propriè & ſtrictè dicta febre hectica, aut conſuetis hujus hecticæ febris ſymptomatibus, quandoque etiam ne exactis quidem febrilibus paroxyſticis exacerbationibus, niſi fortè ultimo morbi tempore, ſtipatam, ſed frequentiùs in ſenibus marasmoideam, in junioribus tabi & atrophiæ univerſali ſimilem eſſe. Unde porrò *6tò* extenuationem corporis ſimilibus affectibus communem, non ſemper more febrium verè hecticarum merè ſymptomaticam, ſed perſæpe magìs idiopathicam eſſe exiſtimamus, cujus opinionis infrà hoc ipſo capite in enarratione cauſarum continentium ſolidiores allegabimus rationes.

Ex peculiari hoc eóque Protheiformi Sicariorum noſtrorum genio, velut ex præmiſſis neceſſariò nobis fluere videtur concluſio, nempe, quòd eos, de quibus in præſenti loquimur, affectus hectico-tabidos, quemadmodum

modum nec certæ ætati aut ſexui proprii, præterea etiam in ipſa periodo, & decurſu non iisdem ubique circumſtantiis ſtipati ſunt, ita neque uni ſimplici, ſed diverſis omninò cauſis (talibus tamen, quæ in huiate præcipuè urbe, prô dolor! ſine periculi metu, imò pro deliciis admitti paſſim conſueverunt) adſcribere oporteat. Has itaque ut clariùs ob oculos ponamus, nolumus prolixam cauſarum genealogiam texere, cenſentes, univerſum cauſarum harum ordinem duplici hac diviſione exhauriri poſſe, ſi cauſas alias in remotas & diſponentes, alias in proximas & continentes diſpeſcamus.

A pricrum ſerie initium ducere placet, atque inter has generalem non niſi unam, amethodiam nempe circa diætæ regimen committi paſſim ſolitam, ſpeciales autem plures, quas generale diætæ nomen Medicis ſub titulo ſex rerum non naturalium exhibet, allegamus; ſunt autem ſex res non naturales 1) aër, 2) cibus & potus, 3) motus & quies, 4) ſomnus & vigiliæ, 5) excreta & retenta, 6) animi pathemata. Quæ verò harum rerum, quales, & quomodo ſub certis circumſtantiis urbis noſtræ incolas ad ſimiles affectus diſponere & viam ſternere poſſint, in ſequentibus percipiemus.

Aërem quidem hujatem quod attinet, tametſi ille nullius planè inſalubritatis arguendus, quin potiùs ob puritatem ſuam apprimè commendandus ſit, propter penetrantem tamen ſuam ſubtilitatem & raritatem iis, quibus præcordia firma non ſunt, admodùm ſenſibilis, & pulmonibus, præcipuè ab initio, donec ſucceſſivè aſſuefiat, ſatis moleſtus eſſe ſolet; teſtes hujus rei complures viciniæ noſtræ incolæ eſſe poſſunt, qui Mannhemio huc devenientes Heidelbergenſem aërem ſine notabili pectoris anguſtia diu tolerare nequeunt, econtra

Mannhemii optimè ſe habent. Ratio hujus aſſerti in promptu eſt; quo enim aër purior, eò etiam magis eſt elaſticus: quo plus autem elaſticus eſt, eò non ſolùm validiùs in pulmones irruit, ſed etiam elaſtica ſua expanſione pulmones eò fortiùs premit (ſerenioris auræ mercurium in barometro preſſione ſua plus elevantis, aëris verò humidi & nebuloſi eundem magis deprimentis exemplo) hac ipſa verò pulmonum preſſione veſiculæ pulmonales plus juſtô diſtenduntur, materia acris in bronchiis hærens incarceratur, ſícque flebile phthyſicorum beneficium, expectoratio materiæ viſcido-purulentæ intercipitur, inde pectus magis aggravatur, reſpiratio fit laborioſior, verbo: pejus omnia ſeſe habent in ejusmodi ſubjectis, in quibus pulmones labem aliquam aut ſaltem debilitatem contraxerunt.

Præterea de aëre huiate, & noſtro quidem judicio omnium maximè notari meretur, quòd, cùm Heidelberga præcipuè montibus undequaque obſita ſit, aër inde valdè penetrans, tractibúsque ventorum pervius (germani vernaculâ linguâ **eine ſchneidende / durchziehende / trucknende Lufft** vocant) adeóque depaſcente quodammodo, colliquante, & exſiccante qualitate præditus, proinde ſubjectis athleticis ſuccíque plenis ſalubrior ſit quàm gracilibus macilentis, iis præſertim, qui penuriâ humorum laborant. Abſit verò, nos aëris huiatis ſalubritati quidpiam derogare velle, id ſaltem tenemus, aërem hujatem remota quadam agendi methodo ad ſimiles, de quibus loquimur, affectus ſymbolum ſuum contribuere, & diſpoſitionem illam, quam fortè quidam alias ob cauſas ad hujuscemodi extenuationem tabido-hecticam habent, inſigniter adjuvare poſſe. Atque idcircò, ne aëri imputemus, quod juſtiori titulo deprava-

vato

vato gustui, luxuíque hujus sæculi, nostris præcipuè incolis consueto adscribi deberet, ad cibi, potúsque examen convertimur.

Cibum itaque quod concernit (siquidem incolarum hujatium multi ex inferioris Rheni tractu in Palatinatum sese contulerint, qui nativo vitæ generi & huiatibus in locis indulgent, quos non pauciores, imò plurimi nostrorum æmulantur) nihil sanè hic frequentius, usitatius, atque magis in deliciis est, quàm sub quolibet fermè prandio carnes fumo induratas, aut sale conditas, nec non farcimina ex bubula carne, fumo pariter exsiccata, multóque aromate condita &c. Westphalorum more mensis apponere: imò neque hoc sub prandio sufficit; cœna etiam vix alia est, quàm sine prævia offa aut jusculo ex frustulis de pernia, aut salitis ejusmodi, vel assatis etiam, sed refrigeratis carnibus, in orbe per circulum porrectis constans. Hujusmodi verò cibi cùm gustui plurimorum apprimè arrideant, fit inde, ut liberiore etiam manu ingerantur.

Verùm, cùm ejusmodi cibi (quod carnes quidem fumo induratas attinet) ita comparati sint, ut eorum succus gelatinosus maximam partem absumptus sit, indéque non solùm difficulter concoquantur, digerantúrque, sed etiam, licet facilè digererentur, nihilominùs parum laudabils nutrimenti, plurimas ècontra cruditates, chylúmque crassioribus particulis terreis plurima sui parte constantem suppeditent, quoad carnes verò salitas, hæ iteratò assumptæ, uti vappidum chylum, sic salsam humoralis massæ dyscrasiam, nec non humorum lentorem successivè progenerent: nónne ex simili alimento vix non quotidiano, cæteris paribus, lentor & viscositas humorum, rigor & quasi exarescentia nervoso-

fibrosa-

fibrosarum partium, spissitudo sanguinis, indéque sensim emergentes oppilationes, infarctus, obstructiones viscerum in emarcidam denique corporis consumptionem desinentes metuendæ erunt? præcipuè cùm plurimi, quibus similia arrident fercula, sedentariæ vitæ vel otio dediti, vel saltem ita assueti sint, ut nihil minùs quàm grossius tale, multísque scatens cruditatibus alimentum laborioso vitæ genere, aut ad resolutionem ac digestionem requisita sufficiente corporis commotione subigere allaborent.

Neque aër solùm cibíque sub his, quos modò allegavimus, respectibus ad affectus tabido-hecticos disponere possunt, sed etiam, & quidem præ modò dictis præsentiùs, imò, me judice etiam frequentiùs, potulenta huiatibus incolis usualia, quæ duplicis sunt classis: primò nativa, qualia præcipuè sunt vina tam patria quàm exotica, & secundò artefacta, quo nomine potum Theé & Coffeé præcipuè intelligimus. Circa vina quidem errores diætetici, similibus malis fomitem subministrantes potissimùm respiciunt qualitatem & quantitatem. Circa potus autem arte factos supra dictos illegitimum usum, quem rectiùs genuino nomine abusum dixeris, reprehendimus. De utroque breviter.

Ac primo quidem, quod vina attinet, sive illa hujatia, aut exotica sint, ambobus tamen hoc commune fatum est, quòd perfrequenter sine modo & mensura non solùm ad satietatem, sed exundantem etiam sæpenumero ingurgitationem exhauriantur, hoc solo adjecto discrimine, quòd hujatia viliora (si pauca exceperis, sed quæ hoc ipso propter raritatem in communi regula vix exceptionem faciunt) à plebeis, exotica verò rariora ac generosiora (sed hoc ipso, si ultra debitam mensuram

ingur-

ingurgitentur, majore nocendi virtute instructa) à nobilioris conditionis hominibus expetantur. Interim corrupto hoc sæculi nostri more eò passim res devenit, ut ad æmulationem usque in Conviviis, cœtibúsque inter pocula certetur, turpisque in hoc quæratur victoria, ut unus alterum helluando vincat, meliùs dicas, suavi morte trucidet. Certè hoc de Patriæ nostræ incolis dixisse turpe foret, nisi notissima in vulgus parœmia esset:

More Palatino bibitur, ne gutta supersit,
Unde suam possit musca levare sitim.

Sed quam gravis inde sanitatis noxa pertimescenda sit, quámque planam hujusmodi in poculis excessus ad tabidam, hecticámque corporis extenuationem sternant viam, præcipuè in Junioribus, atque minùs assuetis, iis perceptu facile est, qui ex sacræ artis principiis fraudulentæ hujus matris insidiatrices noscunt filias hæmorrhagias, hæmoptyses, vomitus cruentos, phthyses, œdemata, hydropises, & cæteros hujus classis morbos omnes ac singulos in hecticam, tabémque corporis denique desinentes.

Immodicæ bibendi licentiæ, erroribúsque circa quantitatem aliud accedit vitium in hujatibus præcipuè vinis circa qualitatem, nempè quòd plebejæ saltem, civilísque sortis civitatis nostræ incolis usitatum sit vina juvencula unius fermè necdum anni, imo ipsa etiam musta, in quotidianum, ordinariúmque potum dispensare. Quemadmodum verò hujatium vinorum plurima, teste chymico horum examine, multo acido, copiosísque terrestribus particulis, atque nativo crudo sulphure impraegnata sunt, certè tantò magis nociva, similésque, de quibus tractamus, affectus producendi capaciora erunt talis notæ recentia vina, quo minùs fermentata, proinde

innumeris hujus censûs impuritatibus conspurcata sunt. Quid autem aliud ex quotidiana ac ordinaria juvenculorum talium vinorum assumptione, quàm cruditates ac saburras primarum viarum, flatulentias, adstrictiones alvi, minùs legitimum ordinariarum naturalium excretionum, nec non digestionis nutritionísque successum, indéque sensim sine sensu enascentes viscerum infarctus atque obstructiones, hecticæ tabísque prodromos exspectaveris?

A nativis ad ea transitum facimus, quæ arte parantur, potulenta, inter quæ prærogativam tenent potus Theé & Coffeé, de quibus, cùm in vulgus passim notissimi sint, prolixiùs hìc agere non est instituti præsentis ratio; id saltem intactum relinquere non possumus, quòd, uti in plurimis aliis, ita & in his plùs gustûs oblectamentum, quàm sanitatis præsidium modernis temporibus quæratur, adeóque malesanus talium rerum abusus vix non ubique prædominetur. Et hic idem est abusus, quem inpræsentiarum reprehendimus, incolis nostris nimis quàm communem; quomodo verò tam potus Theé, quàm Coffeé, si ultra modum & mensuram capiatur, ad affectus tabido-hecticos non leviter contribuere, ac disponere possit, ex sequentibus dispalescet.

Quemadmodùm enim infusum Theé, si moderatè sorbilletur, aquea sua humiditate crassos, viscidósque humores diluit, naturalem ventriculi calorem adjuvat, blanda sua amaritie, & sale acido partim balsamicam aliquam humoribus qualitatem largitur, partim fibras ventriculi & intestinorum roborat, firmátque: ita è contrario in immodica quantitate, & saturatiore infuso assumptus eâdem aquea humiditate fibras tunicásque ventriculi ni-

nimiùm

mium relaxat, iisque atoniam conciliat; hinc ventriculum debilem, adeóque digestionis officio (à quo primordialiter dependet universum nutritionis negotium), inhabilem reddit, copiosiore verò suo sale acido ac austero non modo lac, quod communiter infuso Theé admisceri in magna quantitate solet, in caseosum magma ventriculo molestum præcipitat, sed etiam, cùm lymphæ gastricæ admiscetur, hujus acorem adauget. Hinc nisi inter ipsum hujus potûs usum ventriculo etiam esculenti quidpiam, in quod agat, concedatur, ipsas ventriculi tunicas aggreditur, éasque quodammodo arrodit, dapascítque; ita, ut sectio anatomica, & observatio practica talia subjecta, quibus largior infusi Theé potus in vivis in usu fuit, non solum tabe consumpta, sed eorum etiam ventriculi tunicas tenuioribus lamellis similes demonstraverit. Neque mirum; quantum enim hujusmodi ventriculi deperditio bonam concoctionem digestionémque lædit, præpedítque, tantum pariter ad atrophico-hecticam ejusmodi contabescentiam contribuit. Et verò infusum hoc herbæ Theé, præcipuè illius, quam Thee boy vocant, copiosum intra se continere sal acido-austerum, res est avtopsiâ oculari & experimento extemporaneo facillimè demonstrabilis: si namque infuso Theé saturatiori pauxillam etiam quantitatem vini cæteroquin præstantioris instillaveris, illicò deprehendes, infusum hoc in liquorem austero-acidum, aceto vulgari non multùm absimilem, degenerare.

Potum Coffeé verò quod attinet, circa hunc, uti longè major, ac frequentior hujatibus incolis est abusus, ita præ infuso Theé plùs etiam ad affectus tabico-hecticos contribuit, cùm namque oleoso sulphureo vaporoso principio, & sale volatili, in gustum & obfactum cadente

gaudeat, certum eſt, hunc potum non omnibus indiſcriminatim utilem, cholericis præcipuè etiam poſitivè noxium eſſe; quippe humores fortiter commovet, ſanguinem orgaſticè expandit, præcipuè autem nervoſo generi inimicus eſt, uno inſtar omnium id comprobante experimento, quod ex largiori potûs Coffeé uſu tremores artuum concilientur. Poſſemus in rei hujus teſtimonium allegare viros clariſſimos, BOHNIUM præcipuè & WILLISIUM, pluréſque alios, ſed cùm paginarum id non patiatur anguſtia, plura ſciendi cupidum Lectorem ad MICHAELIS ALBERTI Diſſertationem *de Coffeé potûs uſu noxio* : Item ad Diſſertationem DAVIDIS GOTTLOB HEROLD ſub præſidio HIERONYMI LUDOLFF *de fabis Coffeé, earúmque ſub infuſo uſu & abuſu* : nec non ad anonymi cujusdam libellum, cui titulus : *Novi tractatûs de potu Caphe &c.* amandamus. Qui poſterior author cap. 13. pag. 79. expreſſo capitulo edocet, quibus temporamentis & morbis potus Coffeé minùs idoneus ſit. Nobis quoad noſtram intentionem dixiſſe ſufficiat, potum Coffeé ejúsque ſine ullo reſpectu ætatis, temperamenti, ſexúsque hìc loci frequentiorem abuſum, etiam eò frequentiorem cauſam diſpoſitivam ad affectus tabido - hecticos conſtituere, quo validiùs genus nervoſum afficit, à quorum tamen illibato ſtatu (ſiquidem nervi partibus quibusvis ſolidis nativum ſuum, ac debitum robur, ſeu tenſionem ac tonum impertiant, vî cujus in debita ſua apertione & poroſitate ſervantur, ſícque acceptum ab arteriis ſuccum lymphalem nutritium decenter admittere, aſſervare, & in ſubſtantiam aliti convertere poſſunt) bona nutritio, adeóque ab iisdem male affectis macies, & extenuatio corporis maximam partem dependet.

Sunt

Sunt hæ potiores circumſtantiæ, circa quas diætetici hujatium incolarum errores committuntur, atque ex his ipſis ſponte ea fluunt, ùt morboſa producta, quæ in ulteriore ſex rerum non naturalium examine, præcipuè circa ſe- & excretionum ſucceſſum minus legitimum allegari poſſent, ſed de quibus, ne Diſſertatio ultra præfixos limites excurrat, hìc tacemus; pro coronide tamen annectimus diſpoſitionem illam ad hecticam & tabem, quam in ſuprà dictis rebus demonſtrare allaboravimus, inſigniter exinde adjuvari, imò quodammodo in actum deduci ex inerti, deſidioſo, & ſendentario vitæ genere, quo hujatium incolarum plurimæ, præſertím nobilioris ſortis & ſequioris ſexûs perſonæ, immediatè fermè poſt paſtum, vel lecto ſeſe committunt ſomno indulgentes, vel inter ludendum aut confabulandum in ſeram usque noctem ſellis velut clavis affixæ hærent, quod deſidioſum vitæ genus, quomodo ad minus bonam digeſtionem, cruditates copioſas, ſpiſſitudinem ſanguinis, lentorem humorum, obſtructiones viſcerum, imò ad ipſam cachexiam, hujúsque potiſſimùm ſocias febres lentas, hecticas, tabem, multùm conferre poſſit, Medicis non ſolùm, ſed in vulgus etiam paſſim notiſſimum eſt; hinc ulteriore deductione vix indiget.

His poſtremò adjungimus hæreditariam diſpoſitionem, quæ ſanè, uti in reliquis morbis, ſic & in affectibus hecticojdeis noſtratibus maximam meretur conſiderationem, ſiquidem totum hæreditariæ diſpoſitionis negotium in ſimilitudine motuum & temperamentorum, liberis cum parentibus communi fundatum eſt, adeóque infantes ſub generatione easdem obtinent, quoad denſitatem aut laxitatem, robur aut mollitiem ſolidarum partium fibras non ſolùm, ſed eandem etiam fluxilitatis

vel ſpiſſitudinis humorum conditionem, quibus parentes gaudent: neceſſe eſt igitur, ut ſimilis quoque ordo, ac conſuetudo motuum vitalium ſecretoriorum, idémque viſcerum vel robur, vel debilitas inde emergat, liberósque ad eosdem, ad quos parentes inclinabant, affectus morboſos diſponant; ídque nobis videtur eſſe eò evidentius, quò plures noſtros inter incolas tenerioris ætatis pueri ac puellæ, qui tamen in antedictis erroribus diæteticis vel nullos, vel modicos admiſerunt exceſſus, ad tabidos nihilominùs, hecticósque affectus vel proximè diſpoſiti, vel iisdem actu correpti eſſe deprehendantur.

Ex modo allegata cauſarum diſpoſitivarum ſerie haud difficile eſt, cauſarum continentium nexum concinnare, quas quidem in priorum contextu jam ſub generalibus terminis recenſuimus; ut autem preſſius ad affectuum hectico-tabidorum hujatibus incolis præ cæteris familiarium indolem accedamus, hìc repetendum exiſtimamus, nempe quòd hi, de quibus nobis ſermo eſt, affectus non iisdem in omnibus ſubjectis circumſtantiîs ſtipati ſint, adeóque etiam non uni, ſed diverſis pariter cauſis continentibus adſcribi mereantur. Enim verò, prout hic vel ille in una, alteráve, aut etiam pluribus, aut ſingulis ſuprà dictarum cauſarum occaſionalium abuſu exceſſerit, etiam diverſus effectuum inde dependentium genius, hinc diverſus etiam affectuum dictorum decurſus exiſtat neceſſe eſt.

Specialiores itaque affectuum noſtrorum hectico-tabidorum cauſæ continentes ſunt ſequentes: Et primò quidem enormis maſſæ humoralis ſalſo - acida ad ſcorbuticam dyſcraſiam accedens diatheſis, quam extenuatio corporis conſequitur, & illa quidem colliquationi

humo-

humorum, ex copiosis particulis salino-acidis, massam sanguineam nimiùm incidentibus, atque resolventibus, provenienti adscribenda. Causa hæc continens in iis præcipuè subjectis locum habet, quæ nulla strictè dicta hectica febre, imò ne exactis quidem exacerbationibus febrilibus, multò minus consuetis hecticæ febris symptomatibus, sudoribus nempe aut diarrhæis colliquativis vexantur, sed fermè nihil, quàm continuam quidem, interim tamen languidam pulsûs celeritatem, sitímque immodicam persentiscunt, donec sub quotidiano & quasi ad oculum manifesto de die in diem corporis decremento sensim sine sensu lenta tabe depasti intereant.

Alteram causarum continentium in atonia, sive insigni quadam ventriculi præcipuè vicinarúmque partium ac viscerum, ad bonam digestionem, & ab hac dependentem corporis nutritionem concurrentium relaxatione tonica quærimus; atque hanc non tam hecticæ, quàm tabidæ pariter consumptionis causam in iis potissimùm admittimus subjectis, quæ nullius cæteroquin corruptionis nobilioris cujusdam visceris vestigium exhibent, hinc fermè de nullis aliis symptomatibus, nisi de omnimoda solùm appetitûs deperditione conqueruntur, ita quidem, ut præter tenuiora juscula vel nullum, vel paucissimum assumant alimentum, vel siquid etiam cibi capiunt, illud ventriculo molestum brevì post semi-digestum denuò per alvum secedat: in quibus certè hæc corporis contabescentia verè jdiopathica est, nempè soli & unico debitæ nutritionis defectui, ex ventriculi, partiúmque ad digestionem, nutritionémque contribuentium tonica relaxatione provenienti imputanda.

Tertium in ordine causarum continentium locum sibi vendicat viscerum, præcipuè chylificationis negotio destina-

destinatorum, nempe pancreatis, hepatis, lienis, & glandularum meseraicarum infarctus, atque obstructiones, quas, nisi iisdem maturè prospiciatur, febres lentæ, in atrophicam corporis consumptionem abeuntes, presso pede insequuntur.

Hisce denique accedit strictè dicta scirrosa, ulcerosa, & apostematodes pulmonum, cæterorúmque in præcedente §. allegatorum nobiliorum viscerum corruptio, qui similes affectus, quemadmodum eum attigerunt gradum, ut solida cura ampliùs speranda non sit, ita formali etiam febre hectica, singulísque huic consuetis symptomatibus febrilibus, nempe circa vesperum potissimùm graviùs affligentibus alterationibus, nec non sudoribus, atque diarrhæis colliquativis, inevitabilis fati prodromis, stipati sunt. Interim nobis extra dubium positum esse videtur, modò dictarum causarum continentium unam alterámve, modò simultaneè plures eorum, de quibus hactenus tractavimus, affectuum hectico-tabidorum genetrices esse posse, ídque ex eo fortè patescit luculentiùs, quòd, ùt suprà diximus, antedicti affectus non ejusdem utrobique genii, diversísque in variis subjectis symptomatibus sociati esse deprehendantur. Id quod de causis dixisse sufficiat.

CAPUT III.

Quomodo Sicariorum nostrorum machinæ eludi, vulnera etiam inflicta, quantùm possibile, persanari possint, edocet.

STitimus hactenus tuis, B. L., oculis Sicarios in perniciem patriæ sanitatis conjuratos, perspeximus eorum genium, deteximus insidias, sicas ipsas recenti adhuc dilectissi-

lectiſſimorum patriotarum ſanguine conſpurcatas penitiùs contemplati ſumus. Supereſt, ut, quomodò eorum machinæ vel ſubterfugiendæ, vel pugiones, viſceribus jam admoti, ex hoſtium noſtrorum manibus extorquendi ſint, edoceamus. Utrumque præſens præſtabit capitulum. Quoad primum quidem, quomodo nempe nos ab affectibus hecticis, tabidísque præſervare poſſimus; certè hìc plurimùm valet illud Ovidii Naſonis monitum:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Cùm verò in priori capite inordinatum circa diætam regimen, pro diſpoſitiva ùt plurimùm cauſa aſſignavimus, & hujus amethodiæ diæteticæ cum affectibus hectico-tabidis connexionem ſpeciali contemplatione demonſtravimus, hinc præſervationis fundamentum vix in alia re certiùs quæremus, inveniemúsque, quàm ſi eorum, quorum priori capite abuſum accuſavimus, nunc legitimum uſum pro antidoto commendemus.

Circa aërem itaque hujatem, iis videlicet, quorum præcordia non ita benè conſtituta ſunt, tantò magis verò illis, qui actu labem aliquam, pulmonum præcipuè contraxerunt, iteratam hujatis cum Mannhemio aëre viciſſitudinem, atque commutationem (de cujus commutationis ſalubritate, certis in affectibus, morbísque proficua, forſan alibi diſſerendi occaſio dabitur) ſuademus, præcipuè tamen ſimul commendamus, ut pectus nullo non tempore ab injuriis aëris probè munire, aërem etiam matutinum atque nocturnum (ſiquidem is hìc loci admodùm ſenſibilis, ac penetrans eſſe ſolet) ſtudioſè evitare allaborent.

Cibos quod concernit, de quibus præcedente capite locuti ſumus, non equidem hæc noſtra mens eſt,

omnem eorum uſum, utpote ſanitati præjudicantem, planè infamem reddere, id ſaltem circa hunc monendum ducimus, ut is non tam frequenter atque copioſè, ídque quidem ſine diſcrimine temperamenti, conſuetudiníſque, in prandia, cœnáſque diſpenſetur, aut, ſi hiſce nihilominus aſſueti delectentur (de quibus HIPPOCRATES *Sect. 2. aphor. 50.* docet, quòd, *quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora, inſuetîs minus moleſtare ſoleant*) crudos ſaltem hujusmodi cibos, non ſolùm proportionatâ potulentorum aſſumptorum copiâ quodammodo emollire, ſícque ad digeſtionem aptiores reddere, ſed laborioſa etiam, aut ſaltem protractiore corporis commotione, ſubigere ſtudeant.

A cibis ad potulenta convertimur, circa quæ de vinis hujatibus æquè, ac exoticis certè optandum magis, quàm ſuadendum erit, ut graviores in his ingurgitandis exceſſus, cane pejus & angue, fugiantur, ſiquidem monente rurſum HIPPOCRATE *Sect. 2. aphor. 51. omne nimium naturæ eſt inimicum.* Vina itaque exotica generoſiora non niſi poſt paſtum largiorem, aut ſimilia crudiora fercula, largiore manu ingeſta, moderata doſi aſſumantur, ídque magis phlegmatici, quàm cholerici aut melancholici temperamenti ſubjectis commendamus; recentiorum autem atque viliorum hujatium juvenculorum vinorum uſum nemini prorſus ſuaſerimus, niſi iis, in quibus neceſſitas legem non habet, & iis quidem ſatius erit aciditatem, atque lentorem hujatium vinorum vel inter mixto, vel ſuperbibito hujatium ſalubrium aquarum latice, partim diluendo, partim ad excretionem aptiora reddendo, contemperare.

Dum de hujatium aquarum ſalubritate mentionem fecimus, per parentheſin occurrit hujatium quorumdam

incola-

incolarum opinio, quaſi fons ille in hujate Electorali arce reperibilis (quem vulgò das Fürſten-Brünnlein vocare ſolent) peculiari gaudeat ad præſervandos hectico-tabidos affectus virtute. Pellexit inde nos curioſitas, penitiùs huius ſcaturiginis aquarum chymicum inſtituere examen, quo variis tentatis experimentis, præcipuè evaporatione, aquam illam non modò leviſſimam puriſſimámque, verùm, variorum liquorum inſtillatione, ſubtiliſſima quadam terra martiali, blandiſſimo ſale vitriolico, nec non ſpiritu quodam nitroſo-aëreo, adeóque principiis leniter nitroſo-ſulphureo-martialibus imprægnatam, nullatenus verò terra quadam calcarea, aut groſſioribus terreſtribus, vel adſtringentibus particulis conſpurcatam deprehendimus. Exinde, licet ſpecialiſſimum quemdam effectum, à ſimilibus pathematibus hectico-tabidis præſervatorium, in hiſce aquis commendare velle, nimiæ forſan credulitati obnoxium eſſet, id tamen certum eſt, has aquas, uti ſaluberrimas, ita non modicæ ſolùm ad conſervandam hujatium incolarum ſanitatem utilitatis fore, ſi inter cæteros potus non ſolùm in frequentiorem traherentur uſum, ſed etiam noctu præcipuè ante decubitum, ab iis præſertim paulò largiore hauſtu caperentur, qui ſalſedine ſcorbutica, & lentore humorum, alvi duritie, viſcerúmque infarctu, aut incipiente obſtructione laborant, adeóque ex hiſce cauſis ad affectus hectico-tabidos præ cæteris diſpoſiti ſunt, quibus blando ſuo ſale vitriolico, ſubtiliſſimáque martiali terra, egregiam ferre medelam poſſet. Sed de his modò claudatur.

De potibus arte factis Theé & Coffeé ſequentes, circa eorum uſum tibi cape cautelas, nempe quòd potum Theé cholericæ, melancholicæque complexionis

 ſub-

ſubjectis ſalubriorem eſſe cenſeamus, quàm phlegmaticis, à quibus proinde largiori, non tamen exceſſivâ doſi aſſumi poterit. Præterea verò, cùm infuſum Theé multo acido imprægnatum eſſe ſupra meminerimus, ſuademus hinc, ut, quibuscunque hunc potum largius aſſumere placet, non æque lac, quod una cum acido in Theé contento, liquori gaſtrico commixtum, in coagulum caſeoſum, ventriculo moleſtum facillimè abibit, huic infuſo admiſceant, ſed potiùs vel antè, vel ſub, vel brevì poſt infuſi theé ſorbillationem ad morem eorum populorum, quibus largior potus theé in uſu eſſe ſolet, ventriculo eſculenti quid concedant, in quod acidum in theé contentum agere, hinc non tam facilè ipſas ventriculi tunicas aggredi, atque lædere poſſit. Tanto magis verò noxium exiſtimamus, ſi poſt potum theé in ſaturatiore, ac largiore infuſo aſſumptum, immediatè vinum, uti ſæpiſſimè fieri ſolet, ſuperbibatur, quod hanc potûs theé aciditatem non ſolùm auget, ſed etiam eò validiùs tantóque certiùs exerit, quo magis potus theé ſaccharatus fuerit, ſupra allegato id comprobante experimento, quod proinde ſtudioſè vitandum ſuademus.

Quod de infuſo theé modò diximus, contrarium tenemus in potu Coffeé, videlicet illum phlegmaticis ſalubriorem eſſe, quàm cholericis aut melancholicis, in quibus ſale ſuo volatili copioſo maſſam ſanguineam non modò orgaſticè commovere, ſed & vaporoſo ſuo ſulphure nervos inſigniter afficere poteſt, ídque tanto præſentiùs certiúsque, quo cholerici præcipuè ex natura ſua ſunt ſenſibiliores. Eò ſalubriorem etiam hunc potum eſſe credimus, quo dilutior eſt, vel ſi paulo largiore lactis admixtione contemperetur, quàm ſi ſub ſaturatiore infuſo, quod plurimi huju spotatores pro deliciis expetunt, aſſumatur.

Nul-

Nullatenus verò probamus eorum consuetudinem, qui statim post mensam ad sex, octo, plurésque phialas hanc potum assumunt, qui præstantiorem forte sensuri essent effectum, si una alteráve phialia contenti essent.

Omnium maximi verò nocumenti est pessima illa consuetudo, qua statim post mensam vel somno, vel lusui, sub diuturna sessione in seram usque noctem protracto, indulgetur, quod sanè bonam digestionem & elaborationem laudabilis chyli impedit, cui proinde vitio, & inde pendentibus sanitatis noxis, ad tabidam ejusmodi consumptionem sensim disponentibus, præcavendis satius erit, post pastum vel moderatiore laboriosa corporis exagitatione, vel in delicatis aliquantulum protractiore deambulatione occurrere.

Quandoquidem verò in hujusmodi rebus auscultatio potiùs optanda quàm speranda sit, iis, quibus similes circa diætam amethodiæ in deliciis esse consueverunt, specialiter recommendamus frequentem, imò in ditioribus etiam quotidianum sic dicti Elixirii Salutis ab Eminentissimo Cardinali CINFUEGOS publicæ utilitatis gratiâ typis divulgati usum, cujus, quia rarior est, uti Romæ in Collegio germanico præparari solet, genuina descriptio, peculiaris etiam utendi methodus, utrumque petentibus communicare non gravabimur, ex cujus iterato usu, quoniam polychrestum, temperatissimúmque est remedium, ex leniter evacuantibus, incidentibus, & resolventibus, antiscorbuticis pectoralibus, carminativis, tonicísque ingredientibus conflatum, præstantem contra sæpe dictos affectus effectum præservatorium speramus, atque spondemus.

Cæterùm præcipua indicatio præservatoria legitimum consuetarum naturalium excretionum successum

respicit, quæ ut pro subjectorum ipsarúmque excretionum diversitate, in debito ordine & interrupta continuatione, conserventur, quilibet sanitatis suæ studiosus curare allaborabit. Hac itaque intentione vernales autumnalésque corporis repurgationes, Venæ Sectiones, & Scarificationes, æquinoctialibus præsertim aut aliis etiam intermediis, sed naturæ tamen ejusdémque consuetis excretionibus proportionatis temporibus, administratas, nec non in iis, qui vel humoralis massæ aliqualem jamdum dyscrasiam, aut scorbuticam salsedinem, vel spissiores humores, ad viscerum oppilationes sensim disponentes habent, vel denique pectoris aliqualem debilitatem percipiunt, pro individui ratione, & judicioso Medici arbitrio selectas minerales aquas, Sedlicenses, Selteranas, Sualbacenses &c. (de quibus faciliùs in Patriam nostram transvehendis Natura ipsa duorum fluminum, Nicri Rhenique, concursu, incolarum nostrorum sanitati prospexisse videtur) debito tempore justáque mensura usurpandas commendamus. Et hæc de præservatione sufficiant.

Pro coronide itaque ad therapevticas indicationes progredimur, quæ causas continentes priori capite allegatas, utpote indicantia, respiciant necesse est, de quibus autem ante omnia notandum, eas ita comparatas esse debere, si therapevticæ curationi locus esse velit, ut necdum ad extremum sui gradum devenerint, quo in casu similium affectuum inveterato malo vix expetendæ efficaciæ remedium inveniendum, adeóque etiam vix solida cura ampliùs speranda est.

Quo ad primam proinde indicationem causarum continentium, salso-scorbuticæ nimirum humoralis massæ diathesi correspondentem, in hac, præmissis

univer-

universalibus, eò cura instituatur, ut primæ viæ à crudioribus sordibus liberentur, ut gastrici liquoris dyscrasia salino-sulphurea, vel salso-acida corrigatur, eadémque operâ tota humorum circulantium massa edulcoretur, hoc est, à copia salinorum corpusculorum nimia repurgetur; quibus indicationibus ut satisfiat, non tam asylum in acrioribus purgantibus, & vomitoriis drasticis quærendum, quàm potiùs, præmissis lenioribus laxantibus, remediis, salso-acidam hanc humorum corruptelam alterantibus, ac temperantibus, eorum acrimoniam obtundentibus, eósque per varia corporis colatoria successivè eliminantibus, diuturniori tempore insistendum est. Quo nomine varii generis decocta ex radicibus herbísque antiscorbuticis parata, vel juscula etiam aut brodia similium radicum, atque herbarum medicamentosa qualitate imbuta conducent. Præterea etiam non contemnendi usus erunt emulsiva ex amygdalis præcipuè parata, quæ præterquam, quòd æstum internum mitigent, humorum simul acrimoniam involvunt, ipsámque humorum colliquationem intercipiunt. His ad latus ponendæ sunt gelatinæ, aut brodia saltem gelatinosa, ex carnibus vitulinis, gallinaceis, rasura eboris, & cornu cervi, paucóque aromate parata, nec non seri lactis caprilli usus, ex quibus variæ formulæ concinnari, ac præscribi poterunt.

Ad alteram verò causarum continentium, atoniam nempe ventriculi, partiúmque ad nutritionem concurrentium, præmissis itidem lenioribus evacuantibus, ea potissimùm in usum trahenda sunt, quæ partim blandum ventriculo calorem conciliant, partim relaxatis fibris pristinum vigorem, robúrque impertiunt: prioris generis sunt vulgò sic dicta stomachalia & temperatiora

aroma-

aromatica, ex quibus varia in officinis tam ſimplicia, quàm compoſita diverſarum formularum proſtant remedia. His accedunt, quæ partim ſpirituoſitate ſua, partim ſtrictè dicta tonica virtute ventriculi fibrarúmque tonum roborant: prioris cenſûs ſunt eſſentiæ ſtomachales ex ſupra dictis radicibus & herbis paratæ; ad poſteriorem claſſem referuntur potiſſimum coralliata, ſuccinata, martialia, antimoniata, item ex maſtiche & gummatibus reſinoſis parata.

Tertiam in ordine cauſarum continentium infarctus atque obſtructiones viſcerum eſſe diximus, in quibus præter infuſa, & vina medicata ex radicibus herbíſque aperientibus, intermixtis lenioribus laxantibus, rhabarbarinis præſertim parata, extracta amaricantia, vel ſalia vegetabilium fixa, nec non martialia temperatiora, præcipuè ſi hiſce remediis aquæ deſtillatæ viſcerales adjungantur, ſacra anchora quærenda eſt, quibus etiam prædiſpoſito corpore ſimiles, quas ſupra recenſuimus, minerales aquæ ſubſtitui poſſunt. Quarum omnium præcedentium indicationum ſpecialia remedia, & formulas hìc allegare velle, cùm & ſuperfluum, & nimis tædioſum foret, qui pleniorem horum expedit Catalogum, videat JOANNIS JACOBI JANTKII MED. DOCT. *Selectûs materiæ Medicæ tabulam 16. 26. & 27.* ſub aperientium, ſtomachicorum, & tonicorum titulo.

Ultimam denique attingimus indicationem, apoſtematicæ, aut ſcirrhoſæ viſcerum obſtructioni auxilium ferentem: hæc ipſa equidem per legitimam remediorum ante dictorum, viſcerum infarctus & oppilationes deobſtruentium, adminiſtrationem, præcavebitur. Quando verò vel abſceſſus exulceratio, aut ſcirrhus viſceris jam in actum deductus, & conſummatus eſt, hìc Artis

Medi-

Medicæ viribus terminus poſitus eſt, adeóque, cùm cura ampliùs ſperanda non ſit ſolida atque genuina, palliativa ſaltem, ſymptomatúmque alleviatio, quantum poſſibile, tentanda eſt, quod in phthyſicis quidem, quamvis alii in fungo ſalicis, alii in Caſcarillæ ejúsque Extracti aut Tincturæ diuturniore uſu, ſpecialem quendam effectum ſe expertos fuiſſe affirment, quod ulterioribus experimentis relinquimus, maximè tamen blanda expectorationis materiæ viſcido-purulendæ promotione, per pectoralia temperatiora, in his etiam, uti pariter in cæteris omnibus, in quibus hectica conſummata eſt, vix aliis, quàm cordialibus & analepticis impetrandum eſt, quæ, uti Medicorum cuilibet notiſſima ſunt, ita diffuſior horum enarratio nobis ſuperflua videtur; quibus proinde diſſertationi præſenti coronidem imponimus. Faxit Deus Ter Optimus Maximus, ut, quæ in hac contenta ſunt, cedant ad Majorem Divini Nominis Gloriam, nec non Dilectiſſimorum nobis Patriotarum ſalutem & emolumentum; Utrumque enim fuit Diſſertationis præſentis, noſtríque laboris

F I N I S.

AD ZOILUM.

Scripta hæc auditor ſpernat, lectórque recuſet,
Lector & auditor nec mihi quisque placet.

DISPUTATIONIS UBERIOR MATERIA.

1. *Qui Theoriæ ignari, ſub Medicorum larvâ praxin Medicam exercent, hácque de causâ dogmaticorum Medicorum conſortium fugiunt, non Medici, ſed Medicaſtri ſunt, qui turpe hoc privilegium cum Carnificibus commune habent:* Quod iis liceat impunè occidere.
2. *Uterque parens, neque ad formationem, neque ad vivificationem Embryonalis corporis aliquid directè contribuit.*
3. *Unde homo ſtrictè loquendo ſolùm gignitur, non generatur à parentibus.*
4. *Febres qualescunque etiam Peſtilentiales, morbi dici ſimpliciter non poſſunt.*
5. *Sphacelus, & Mors eſſentialiter non differunt.*
6. *Neque ex morbo principali, néque ex ſymptomatibus primariis Medico deſumendæ ſunt indicationes; quæ generaliter ſpectatæ in omnibus morbis prorsùs eædem ſunt.*
7. *Unde eâdem etiam generali methodo omnes interni morbi curari poſſunt.*
8. *In hydrope neque diuretica, neque hydragoga, neque ipſæ Paracentheſes aliquid directè proſunt ad curam.*
9. *Hæmoptoicis conveniunt ſudores, etiam largiores: iis tamen ponſitivè nocent ſudorifera.*
10. *Nulla dantur ſpecifica, vel quoad certos morbos, vel quoad peculiares humores educendos.*
11. *Inflammatio formaliter ſpectata qualiscunque non fit à materia corrupta, acri, irritante.*
12. *An Medicus Chriſtianus, & rationalis Curas ſympatheticas cum bona conſcientiâ adhibere poſſit, Problema eſto.*

)o(

QUas ſtruat inſidias, & cur clam retia tendat
Hectica, quæ lentâ corpora tabe terit.
Cúrque Palatinis Hoſtis graſſetur in oris,
Et quo quis poſſit Marte fugare, doces.
Vergat ut hoc multis ægris, exopto! ſaluti;
Sic merito Victor Nobilis Hoſtis eris.

Amicæ gratulationis ergò hæcce ſcribebat

JOHANNES BLANCKENHORN,
Francothal. Palatin. Med. Candit.

EUge bonum factum! terrâ jactatus, & alto
Tandem Nauta ſolet lætus adire lares!
Euge bonum factum! poſt dura negotia *Noſtro*
Wegelio dignus ſplendet honoris apex!
Aſpice! parta quies, & gloria nacta cacumen
Emerito pridem lauta brabea ferunt.
Gratamur meritò, meritò gratantur *Amici*,
Verbáque voce ſonant, votáque mente ſtrepunt.

Hiſce brevibus ſed ſinceris Clariſſimo Domino Defendenti, Amico ſuo ex paucis dilectiſſimo fauſta quævis precari, ut debuit, voluit.

JOAN. PHIL. FABER, M. C.
Heidelberga Palatinus.

QUo *veheris* cerebro SOBOLES enixa MINERVÆ?
Arces Hungarici num mens luſtrare *Gradivi*?
Luſtrâſti. Hicce *tuus* quo tendit *currulus* ergo,
Quem *Lucina* dedit TIBI, quem labor improbus egit?

Currulus ad CATHEDRAM tendit, mihi tempora docta
Quæ cinxiſſe juvant, ſic laurea ſerta loquuntur.
Poſt exantlatos *quarta* jam *meſſe* labores
Nunc meritò PALLAS tantos largitur honores,
Queis me devoveo TIBI, nec niſi neſcia flecti
Atropos hoſce meos à te mihi ſolvet amores.

Ita accinente & applaudente
J. C. A. P. MERCKEL, J. U. Stud.

ÆGrotis Medicina ſolet reparare ſalutem,
Expertâ Medici proſpiciente manu.
Tu benè, nam conſtat, memoratâ excellis in arte,
Ergo fac, ægrotos proſperitate frui.
Noxia corporibus contagia multa ſuperſunt,
Sic Medicamentis præveniatur eis.
Has igitur facies depellere corpore peſtes
Det Deus effectus artis ubíque bonos.

neo-DoCtoranDo gratVLabVnDVs Plè & IVstè apposVIt

IOANNES VVoLPERTH,
Chirurgus Juratus & Proſector Anatomiæ Univerſitatis.

